INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXII A DIE XXVIII APRILIS

INSTITUENDARUM.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. LAURENTIUS FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Inter eos viros, qui Gregorio VII pontifici certaminis quod vocant investiturae socii extiterunt, insignem locum tenet Bonizo, patria, ut videtur, Placentia [1]) ortus, sed ab episcopatu, quem gessit, Sutrini plerumque cognomine appellatus. [2]) Qui quamquam Petro Damiani, Annone Coloniensi, Desiderio Casinensi, Geraldo Ostiensi, Mathilda comitissa longe inferior aetate, in restauranda tamen ecclesiae integritate, in exstirpando clericorum concubinatu, in impugnandis Heinrici IV consiliis tanto erat ardore inflammatus, tanta constantia praeditus, ut a nemine superaretur. Ad popularem illam, quam adversarii Patariam [3]) appellabant, societatem conflandam et per Italiam superiorem divulgandam, post Anselmum Badagiensem, Arialdum, Herlinbaldum plurimum contulit subdiaconus Placentinus Bonizo. Deinde cum Heinrici imperatoris eiusque partium acerrimum odium, Gregorii vero pontificis sibi studium parasset et fiduciam, circa annum 1078 [4]) ab ipso episcopus Sutrinus creatus est. Sed cum Heinricus anno 1082 ab obsidione Romae infecta re Longobardiam versus rediret, Sutrio capto episcopum in vincula coniecit et secum abduxit. Deinde anno 1086

---

[1]) Ubi primo nobis occurrit, subdiaconus est Placentinus, cf. Gregorii VII litteras ad Dionysium Placentinum episcopum datas a. 1074 nov. 27. Registrum II. 26. His ex litteris forma nominis sumenda nobis visa est. Alii eum Bonitum, Bonithonem, Bonisium appellant.

[2]) Ita Ricobaldus Ferrariensis (Muratori, scr. rer. Itt. IX. 121.), anonymus Zwettlensis (Pez, thesaurus anecdott. III. p. 1.), Martinus Polonus (ed. Basil. 1559, initio).

[3]) Cum nobilitas Lombardica, ut inferioris conditionis homines opprimeret et opes ecclesiasticas usurparet, potestate imperatoria niterentur et contra canones dignitates sibi pararet ecclesiae, Hildebrandus, Petrus Damiani et Anselmus Badagiensis plebis congregabant societatem militarem per omnes fere Lombardiae urbes, qua non solum imperator incredibili modo impediebatur, sed etiam prima societatis Lombardicae fundamenta iaciebantur.

[4]) Ughelli in Italia sacra (ed. Venet. 1717 tom. II. 1275.) Bonizonem dicit floruisse episcopum Sutrinum anno 1078. Quod quidem fortasse dicit auctore quodam, non accuratius significato. Sed dum eius documenta non licuerit inspicere, valde dubitamus, num Bonizo vel anno 1080 fuerit episcopus Sutrinus. Hoc enim anno Placentini vehementissime Heinrici partibus restiterunt, ducibus Bonizone et duobus aliis. Quare Benzo Albensis imperatorem hortatus est, ut eos „deformaret et luminibus“ privaret (cf. Benzonis panegyricum in Monumentis Germ. hist. scr. XI. pag. 607.). Dignitatis autem episcopalis etiamtum de Bonizone nulla mentio. Anno demum 1082 Bernoldus Constantiensis (Monum. Germ. scr. V. pag. 437.) haec refert: „Igitur Heinricus capto episcopo de Sutria aliisque nonnullis suoque apostata Guiberto in Tiburtina urbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur.“ Ad annum 1089 Bernoldus huius episcopi nomen addit. — Anselmus Lucensis, Mathildae comitissae „paedagogus“ (v. vitam Anselmi in Mon. Germ. scr. XII. 22.), obiit a. 1086 mart. 18. Cf. vitam Ans. l. c.

Bonizo, e vinculis fortasse iam diu liberatus, cum Mathilda comitissa Mantuae occurrit, in exequiis sancti Anselmi Lucensis. Ex eo tempore num Mathilda eum, ut quidam volunt, secum retinuerit, non satis constat, quanquam inter utrosque ut Gregorii asseclas fidelissimos familiaritatem intercessisse singularem, admodum consentaneum est.

Denique anno 1089 Bonizo a Placentinis, quos ipse subdiaconus ante quindecim annos ad liberandam a vitiis ecclesiam excitaverat, episcopus electus est. Ubi quonam anno diem obierit supremum, accurate quidem dici non potest. Sunt qui ipso anno 1089 eum excessisse arbitrentur, [1]) sunt qui anno 1091. Occubuit autem indefessus ecclesiae miles schismaticorum manibus, a quibus primum in carcerem coniectus, post membris truncatis et oculis erutis interemptus est. Quo die mortuus sit, titulus eius sepulcralis vel potius tituli fragmentum tradit hocce:

Nobile depositum tibi, clara Placentia, gessit —
Antistes Bonizzo, Christi pro nomine martyr,
Septima bis iulii hunc lux collegit in urna.

Pauca sunt, quae ab aliis de eo memoriae produntur. Sed qui ab annalium scriptoribus fere neglectus est, ipse magnum illud certamen, cui eius aetatis et optimi quique et nequissimi sese dederant, eo copiosius libris scriptis illustravit. Namque cum ab Amico quodam, de ecclesiae salute fere desperato, quaereretur, quid esset, quod Deus nullis afflictorum precibus moveretur, ut ecclesiae victoriam tribueret, et pro ecclesiae libertate num armis liceret uti: facile ei persuasum est, ut ad erigendos cum Amici tum aliorum animos, et, quod gravius erat, ad servandam rerum gestarum memoriam, inde ab apostolis ecclesiam Dei quibus oportuerit vexari persecutionibus, coeperit enarrare. Qua quidem in re praestanda ita versatus est, ut prisca tempora brevioribus absolveret verbis, sed quo propius ad suam aetatem accederet, eo uberiori uteretur scribendi genere, donec in pontificum proxime superiorum, in primis in Gregorii VII rebus iustam assequeretur vitarum formam. Quae cum ita sint, manifestum est, hos libros, a viro rerum gestarum egregie perito conscriptos, gravissimum nobis esse testimonium ad cognoscendam aetatem documentis historicis non nimis abundantem. Et de temporibus quidem, quorum res Bonizo aut ipse vidit aut ab aliis satis certo comperire potuit, Leonem Casinensem et Donizonem Canusinum si exceperimus, inter Italos tam copiose nemo scripsit. Quae autem non vidit, ad ea ipsa exploranda licet non multum conferat, tamen neque in iis est contemnendus, propterea quod de prima ecclesiae aetate, de Constantino, de ceteris imperatoribus, de Carolo magno eiusque successoribus et de ecclesiae varia conditione quid senserint Gregorius VII et eius amici, testis est fide dignissimus.

---

[1]) Qui quidem Bernoldi verba (l. c. ad a. 1089) non recte videntur intellixisse: „Bonizo piae memoriae Sutriensis episcopus, set inde pro fidelitate sancti Petri iam dudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes et exilia, a Placentinis catholicis pro episcopo recipitur, sed a scismaticis eiusdem loci effossis oculis, truncatis omnibus pene membris martyrio coronatur.“ Annum, quo episcopatum Placentinum susceperit Bonizo, Bernoldus significat; quae de episcopi nece addit, ea non omnino ad eundem annum referamus necesse est.

[2]) Dum Ughelli Bonizonem anno 1089 mortuum esse putat, v. cl. Giesebrecht (Geschichte der D. Kaiserzeit II. 534.) anno statuit 1091. Quod qua de causa faciat, manifestum est. Apud Ughellium enim tabulae mentio fit, quae Winricum episcopum Placentinum fuisse testatur anno 1092 (Ugh. l. c. II. 211.). Bonizonem autem non ante annum 1091 mortuum esse, ipsius verbis docemur in Decreti sui l. IV (Angelo-Mai, nova patrum bibl. VII. 3. 45.). Sed haec res non omni dubio vacat, ut alio loco demonstrabitur. — Titulum sepulcralem praebet Ughelli, It. s. II. 211.

Tanti cum aestimandum sit opus Bonizonis, primum quaeramus necesse est, quomodo unica quae extat Oefelii in scriptoribus rerum Boicarum editio [1]) sit comparata. Cui quamvis gratum animum habere debeamus, quod scriptorem nostrum typis mandavit, tamen perlecto primo alterove libro non possumus non fateri, scriptoris verba, nisi codex manuscriptus ipse sit valde corruptus, non paucis locis male esse reddita. At codex, quo usus est Oefelius, Monacensis lat. num. DCXVIII., praeter quem non invenitur alter, scripturam prodit saeculi duodecimi satis accuratam, neque usquam lectu nimis difficilem.

Itaque ne scriptor tam nobilis diutius sua careat integritate, operae pretium duxi, adhibito codice Monacensi tandem Bonizonis, quoad eius fieri posset, accuratum textum, adscriptis Oefelii lectionibus, hoc loco proponere.

Incipit Liber Bonithonis Sutriensis Episcopi,

qui inscribitur ad AMICUM.

I.

Queris a me, unicum a tribulatione que circumdedit me presidium: Quid est, quod hac tempestate mater ecclesia in terris posita gemens clamat ad Deum [2]) nec exauditur ad votum, premitur nec liberatur, filiique obedientie et pacis iacent prostrati, filii autem Belial exultant cum rege suo, praesertim cum, qui dispensat omnia, ipse sit qui iudicat aequitatem? [3]) Est et aliud, unde de veteribus sanctorum patrum exemplis a me petis auctoritatem: si licuit vel [4]) licet christiano pro dogmate armis decertare? Quibus tuae mentis fluctuationibus si aurem sani cordis adhibueris, facile respondebitur, tum quia in promptu nobis est, tum quia hoc tempore mihi scribere hoc visum est pernecessarium. [5]) Igitur de Dei misericordia confisi, qui linguas infantium disertas facit, adoriamur [6]) sermonem.

Mater ecclesia, que sursum est nec servit, cum filiis suis tum maxime liberatur, cum premitur, tum maxime crescit, cum minuitur. Nemo enim coelestis regni Abel concivis esse merebitur, nisi quem [7]) in praesenti Cain malitia ad purum [8]) limaverit. Sic Enoch, probatus repertus, raptus est, ne malitia mutaret cor suum. Sic Noë, humani generis reparator, per sexcentos ferme annos, quibus ab his, qui se iniusta maculaverant commutatione, multa perpessus, cum domo sua, mundo vindice aqua pereunte, liber evasit. Quodsi filii Ierusalem aliquando captivi detinentur, tamen non serviunt; quod et si super flumina quidem sedentes, flentes irriguas, non delectantur, in salicibus suspendunt organa et non cantant canticum in terra aliena, sed ad Ierusalem suspirant; et ideo beati, qui allidunt parvulos ad petram, filia autem Babylonis misera. Sic Hebreus ille, quem [9]) Hur non tenuit Chaldeorum, Babylonio non servivit fastui, ad Ierusalem vero tetendit, Melchisedech vidit, [10]) et ab eo benedictus, ab Omnipotente pater multarum gentium appellatus est. Quod vero scriptum est: „duos filios habuit, [11]) unum de ancilla et unum de libera, sed [12]) qui de ancilla, secundum carnem, qui autem de libera, per repromissionem“: qui sunt duo populi, unus catholicorum, alter vero hereticorum. Sed [13]) sicut tunc, qui secundum carnem, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid [14]) dicit scriptura? „Eiice

---

[1]) Tom. II. 780. [2]) Ed. *Dominum.* [3]) Ed. *aequitate.* [4]) Ed. *ut.* [5]) Ed. *necessarium.* [6]) Cod. *adhoriamur.* [7]) Ed. *qui.* [8]) Ed. *puerum.* [9]) Ed. *quidem.* [10]) Ed. *videlicet.* [11]) Ed. *habuisse.* [12]) Ed. *scilicet.* [13]) Ed. omisit. [14]) Ed. *Unde dicit.*

ancillam et filium eius. Non [1]) enim heres erit filius ancille cum filio libere.“ Itaque Sara clamante ad Abraham angelo intercedente, Hismaël ex persecutione exheredatur, Isaac vero hereditate donatur. Est [2]) alia persecutio, quam Isaac sustinet patienter. Fodit puteos, quos antea foderat pater eius; invenit aquam, pro qua rixati sunt allophyli: non repugnavit, patienter sustinuit, quamdiu invenit abundantiam et per abundantiam veniret ad Bersabe, que puteus septimus id est [3]) requies interpretatur, luce clarius demonstrans, cum persecutio ab his, qui foris sunt, nobis infertur, tolerando devincendam; cum vero ab his, qui intus sunt, evangelica falce prius succidendam et postea omnibus viribus et armis debellandam. Quod melius ostendemus exemplis.

Sed quid nobis cum allegoria? veniamus iam ad evangelicam veritatem, veniamus ad Lucem, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, veniamus ad verba celo terraque durabiliora, et inveniemus nichil nobis cum mundo amicum nilve commune. Et [4]) ideo non dolendum est nobis, cum premimur, [5]) sed potius gaudendum. Sic enim Salvator ait: „Nolite mirari, si odit vos mundus; scitote, quia me priorem vobis odio habuit,“ et iterum: „Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; non quomodo hic mundus dat, ego do vobis.“ O quanta dignitas, mundum cum filio Dei sentire inimicum, ut patrem, qui in celis est, una habere possimus amicum! Qui postea nos invitans ad passionem, sic ait: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,“ et post pauca: „Si quis venit post me, abneget semet ipsum et tollat crucem suam et sequatur me.“ Quodsi membra summi capitis sumus, debemus eum imitando eique inherendo illuc tendere, quo eum pervenisse pro certo cognovimus. Per [6]) probra et flagella et irrisiones et turpissimam mortem crucis ad gloriam pervenit resurrectionis et consummatus factus, gloria et honore coronatus, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Sic et nos, si filii summi patris sumus, per mundanas passiones [7]) debemus commori secum, ut conresurgentes simul conregnare possimus; quod illi matris nostre, non habentis [8]) maculam neque rugam, primi fundatores et documentis docuere et exemplis monstravere. Respondet enim aliud princeps ovilis et vas electionis? et filii Boanerges et fratres Domini ceterique dominici gregis arietes aliud nos docuerunt, quam: [9]) „Mundum cum pompis suis relinquentes, quae sursum sunt, sapiamus, non quae super terram?“ Quod exemplis monstravere, [10]) cum irent gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumelias pati. Igitur postquam in omnem terram exivit sonus eorum, consummati facti constituti sunt principes super omnem terram.

Hos secutus est martyrum candidatus exercitus, qui per varia penarum genera mortem invenientes, aeternam vitam lucrati sunt. Quorum alii stipitibus suspensi, alii variis cruciatibus perempti, alii capite truncati, alii vivi excoriati, alii flammis concremati, alii fluminibus necati, alii vectibus perforati, alii vivi defossi, alii luminibus privati, alii membris ceteris debilitati, alii secti, alii lapidati, alii vincula et verbera experti, insuper et carceres circumierunt in melotis et in pellibus caprinis. Hos ad tam praeclaram gloriam perduxit pontificalis apex, qui quamvis pene toto orbe iam diffusus, quod verbis praedicabat, ostendebat exemplis.

Tamen [11]) precipue Romanus christianusque senatus, qui a beato apostolorum principe sumens exordium, per trecentos [12]) ferme annos usque [13]) ad pii Constantini tempora continuis bellorum successibus diebus noctibusque cum antiquo hoste decertans, XXXIII vicibus de

---

[1]) Ed. *Nec.* [2]) Ed. *ecce.* [3]) Ed. *septimus et r.* [4]) Ed. om. [5]) Ed. *perimus.* [6]) Ed. om. [7]) Ed. *possessiones.* [8]) Ed. *habentes.* [9]) Ed. *quia.* [10]) Ed. *monstraverunt.* [11]) Ed. om. [12]) Cod. et ed. *ducentos*, quam scripturam correximus. [13]) Ed. om.

eodem venenoso serpente triumphans, non ante desiit tolerando certare, subiiciens sibi principatus et potestates, quam [1]) ipsum Romani imperii ducem christiane subiecit religioni. Explicit liber I. Incipit

Liber II.

Igitur Constantino a Sylvestro sanctae Romane ecclesie episcopo baptizato et ab eodem imperiali diademate sublimato, clausa sunt templa, reserate sunt ecclesie, cepit [2]) parietibus depingi imago Salvatoris et e publico deiici imago Iovis; ceperunt altaria erigi et simulacra deiici; reddita est pax in toto orbe ecclesiis, quamvis non longo tempore duratura. Nam eiusdem pii principis tempore surrexit Arrius, maximus ecclesie devastator, a quo Arriana heresis exorta est et ab eo mille hereseos novitates, contra quas omni christiano pugnandum pro officii sui consideratione nulli dubium est. Nam veternosus serpens, [3]) dolens, imperialia vasa, per que christianam persequebatur religionem, sibi esse sublata, omnem se collegit in iram et per quosdam sue artis viros, falsa iustitia debriatos, [4]) non cessavit nec cessat nec ad usque illius, qui extollitur supra [5]) omne, quod [6]) dicitur aut colitur Deus, tempora cessabit ecclesie maculare puritatem.

Sed cum a Constantino ceperimus, Constantini laudes prosequamur. [7]) Hic est Constantinus, qui legem posuit evangelice doctrine consonantem, ut omnes episcopi Romanum episcopum haberent caput, sicut omnes iudices regem. Hic est Dominice crucis inventor, christiani nominis maximus propagator, alme nove Rome fundator, basilicarum precipuus fabricator. Hic est, qui nobis sanctam Nicenam synodum congregavit, in qua omnium episcoporum subsellia ipse composuit et ipse, suppedaneo sedens scabello, indignum iudicans imperialem sedem thronis illorum admisceri, quorum sedes iudicature sunt duodecim tribus Israël. Cui cum quadam die libelli accusationum ab episcopis porrigerentur, fertur dixisse: Absit ut ego iudicem Deos. De vobis enim dictum est: „Ego dixi, Dii estis;“ neque enim rectum est, ut maior a minore iudicetur. Hic est, de quo legitur, dixisse: Quod [8]) si invenirem aliquem religioso habitu circumamictum turpitudinem operantem, pallio meo cooperuissem eum, ne dignitas tanti nominis infamaretur. Hic reliquit filios, heredes quidem regni, sed non religionis. Nam filius eius Constantius, qui defunctis fratribus imperii post eum suscepit monarchiam, Arriane hereseos zelo mirabiliter vastavit ecclesiam: nam episcopos exilio relegavit, quosdam vero gladio truncavit. Hic cum per Ermogenem prefectum Paulum episcopum Constantinopoli expellere niteretur, populus catholicorum divine legis zelo armatus, in tantum pro veritate decertavit, ut ipsum prefectum cum omni domo sua et familia igne concremaret. [9]) Quod factum non est a sapientibus improbatum, sed potius laudatum. Quid referam de Alexandrinis, quanta pro sancto Athanasio episcopo perpessi sunt quantasve laudabiles pugnas contra Arrianos zelo orthodoxe fidei exercuere. [10]) Quid de Mediolanensibus, qualiter ipsi Constantio, volenti episcopos in ecclesia latitantes capere, armis restitere eosque ab illius cruentis manibus vi rapuere. Sed quoniam prefatus Constantius non patri equiparando, sed quasi paganorum more episcopos, quamvis zelo Dei, sed non secundum scientiam persecutus est, eius temporibus respublica multum vexata est.

---

[1]) Ed. *quia.* [2]) Ed. *coeperunt.* [3]) Ed. *senex.* [4]) Ed. *inebriatos.* [5]) Ed. *super.* [6]) Ed. *qui.* [7]) Ed. *persequamur.* [8]) Ed. *quia.* [9]) Ed. *cremarent.* [10]) Ed. *exercuerint.*

Nam et Perse Romanos terminos transiere et Francorum valida gens ripas Rheni invasit, que usque hodie christiane quidem, sed non Romane subiecta est ditioni. Quo mortuo Iulianus ei successit in regnum, vir apostata et Deo odibilis, qui per triennium, quibus Romanum non gubernavit, sed vastavit imperium, quantas sacerdotum strages dederit quantosve christianos diversis poenis affecerit, non est facile dictu. Sed eodem tempore fuerunt non solum sacerdotalis, sed etiam militaris ordinis, qui eius vesanie aperte resisterent; ut Iovianus, qui ei successit in imperio; qui cum esset millenarius, cingulo ante renuntiavit, quam dogmati. Sed et Valentiniani divini amoris fervorem non pretermittam. Hic cum quadam die ex officio — erat enim princeps cohortis legionum — regem intraturum templum Fortune anteiret, cumque [1]) sacerdos, ut moris erat, aqua aspersionis intrantes [2]) aspergeret, accidit, ut vir christianissimus guttam aque in chlamide sua aspiceret moxque [3]) christiani nominis zelo succensus, ante sevissimi imperatoris presentiam in ipso introitu templi sacerdotem pugno percussum prostravit, clamans, se christianissimum pro hac aspersione potius maculatum, quam purgatum. Quod factum in tantum Deo placuit, quod ante anni curriculum totius Romani imperii monarchiam ei tradidit gubernandam. Nam Iuliano turpiter apud Persas vitam finiente, cum Iovianus ei successisset in imperium, ante anni curriculum in pace sepultus est. Quo mortuo Valentinianus ei successit in regnum, vir urbanus et christianissimus, qui in primordio ordinationis sue fratrem suum nomine Valentem consortem effecit imperii, proh dolor! tradens ei totius iura orientis; ipse occidentales gubernavit regiones. Hic Mediolanum sedem elegit imperii. Mortuo vero Auxentio heretico et in pace sepulto sancto Dionysio, accidit, ut illuc convenirent episcopi Italie, ut sibi in commune eligerent episcopum; ad quod faciendum summopere expectabant [4]) regis presentiam. [5]) Quod ut audivit, ipse modis omnibus interdixit, dans legem evangelicae veritati concordantem, ut „nemo laicorum principum vel potentum audeat se inserere electioni patriarche vel metropolite vel episcopi; quod si factum fuerit, inordinata erat talis electio." adiiciens: „talem secundum decreta canonum eligite, qui nostris possit mederi vulneribus." Quam piissimi principis humilitatem Deus ex alto respiciens exaudivit et sibi et ecclesie donavit Ambrosium episcopum. Qui quamdiu vixit, erga sacerdotes [6]) Dei devotissimus, pacifice imperium Romanum gubernavit.

Sed a pii Constantini usque ad Longobardorum crudelia regna quique [7]) Romani imperii principes secundum Dei timorem et episcoporum consilia et precipue sub Romano episcopo obedientes extitere, ecclesias colendo, clericos diligendo, sacerdotes honorando, dum vixere, alta pace rempublicam gubernavere et mortem vita eterna commutavere. [8]) Qui vero inobedientes fuere, malo fine periere; ut Valens, Valentiniani frater, qui Valentiniano mortuo, cum ei successisset, Valentinianus eius filius cum Iustina matre sua heretica assumens tyrannidem, totus Arrianus, ecclesias orientales vastavit episcoposque exilio relegavit. Huius quoque tempore Gothi et Masagetes Hystrum transeunt et Illyricum occupant Epirumque invadunt; demum venientes Calcedonam, ipsum scelestum interficiunt, Constantinopolin obsident. Sed mirabile dictu, Dominica eius relicta, quod vir non potuit, civitatem a barbaris liberavit. Fuere etiam alii pestilentes, ut quidam Zeno et Constantinus et Anastasius, qui proterve loquens de Papa divino fulmine interemptus est, et Valentinianus, qui cum matre

---

[1]) Ed. *eumque.* [2]) Ed. *intrantem.* [3]) Cod. *moxve.* [4]) Ed. *exspectabatur.* [5]) Ed. *praesentia.* [6]) Ed. *Sacerdotem.* [7]) I. c. *quicunque.* Ed. *quinque.* [8]) Ed. *gubernaverunt — commutaverunt.*

sua Iustina regno suo expulsus est, sed per Theodosium pium principem recuperatus est; et Basilius et quidam [1]) Leo et Mauritius, qui cum uxore et filiis suis a Foca morte damnatus est; et alii quam plures, qui sacerdotes [2]) Dei inhonorantes, privilegia Romane ecclesie auferre molientes, et in presenti vita non quievere et in eternum periere. Quorum temporibus et Persarum exercitus Mesopotamiam invasit et Saracenorum pessima gens omnem Africam et Marmaricam et Lybiam et Aegyptum et Arabiam et Iudeam et Fenicem a Romana subtraxit ditione. Ab aquilone vero Hunorum feritas et Gothica tempestas et Guandalorum procella omnem vastavit occidentem, quamdiu decimum cornu bestie, Longobardica scilicet rabies, de vagina furoris Domini extracta Italicas invasit regiones. De qua persecutione melius est silere, quam pauca dicere.

Fuere et [3]) preterea religiosissimi imperatores, ut Theodosius et Honorius et item Theodosius et Martiani et Valentiniani pia dualitas et Constantinus et Hyrene et Leo et Iustinianus et quidam alii, qui, ut superius prelibavimus, et alta pace rempublicam gubernavere et mortem vita eterna commutavere. [4]) Imperante autem Theodosio primo, temporalem carpebant vitam Ambrosius et Augustinus et Ieronimus, qui salutifera vivendi multa nobis reliquere precepta. Quorum Ambrosius ne ab ecclesia iussu Valentiniani et Iustine pelleretur, armis populorum defensatus est, nec vituperavit Dei sacerdos populi fervorem, sed potius laudavit. Eodem quoque tempore venerabilis Augustinus Bonifacium principem, ut Donatistas et Circumcelliones predetur et vastet, hortatur.

Sed quoniam religiosorum principum superius mentio facta est, aliquid de vita eorum et legibus ab eis promulgatis huic opusculo necessarium duxi inserere. Nunc autem ab ipso Theodosio ordiamur. Hic suscepto regni gubernaculo, barbaros mirabiliter vicit et sedavit et Arrianos ab ecclesiis expulit et eas orthodoxis reddidit, Persas intra fines suos stare coegit, Maximum tyrannum expulit. Interea pacificato regno Thessalonicam veniens, regia licentia populum inconsulte iussit interfici. Qui dum Mediolanum venisset, a liminibus ecclesie a beato Ambrosio prohibitus est, sicque cognoscens peccatum suum, tamdiu flevit extra ecclesiam publice, quamdiu veniam meruit, data lege, ut sententie principum, sub animadversione prolate, usque ad XL dies non obtineant firmitatem.

Quantam vero reverentiam erga sacerdotes [5]) Dei Archadius et Honorius, filii eius, habuerint, [6]) leges ab eis promulgate testantur in hunc modum:

„Imperatores Archadius et Honorius augusti Theodoro Prov. presidi prefecto, Si quis in hoc genus sacrilegii incurrerit, ut in ecclesiam catholicam irruens, sacerdotibus et ministris vel ipsi cultui locoque aliquid importet iniurie, quod geritur, a provincie rectoribus animadvertatur atque ita provincie moderator sacerdotum et catholice ecclesie ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali in convictos sive confessos sententia noverit esse vindicandum.“ Et post pauca: — „sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus iniurias velut publicum crimen insequi et de talibus mereri“ etc.“

Quid vero Martiani et Valentiniani pia dualitas ad beatum Papam Leonem scripserit, audiamus: „— et tuam,“ inquiens, „sanctitatem, principatum in episcopatu fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate nostri imperii et statu eternam Divinitatem tua sanctitas deprecetur.“

---

[1]) Ed. *quidem.* [2]) Ed. *sacerdotem.* [3]) Ed. *etiam.* [4]) Ed. *gubernaverunt — commutaverunt.*
[5]) Ed. *sacerdotem.* [6]) Cod. *habuerunt.*

Qualiter autem Constantinus, non ille primus, sed alter cognomine, pius imperator scripserit domino Pape, advertite: „Per Deum," inquiens, „omnipotentem, non est apud nos partis cuiuslibet favor, sed equalitatem utrisque partibus observabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui a vobis diliguntur, quoquo modo omni [1]) honore competenti et munificentia et susceptione dignos eos habebimus. Et si quidem utrique convenirent, ecce bene; sin autem minime convenirent, iterum [2]) cum omni humanitate eos ad vos dirigemus." Et post pauca: „invitare enim et rogare possumus ad omnem emendationem et unitatem omnium christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus."

Quid vero alter Constantinus et Hyrene augusti ad Adrianum Papam scribant, adtendite: „Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis quidem dominus Deus rogat, qui vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut det se ipsum et nullam tarditatem faciat et accedat huc."

Quid Iustinianus sancto Pape Iohanni promulgatis legibus scribat, audite: „Petimus vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris manifestum nobis faciatis, quod omnes, [3]) qui predicta recte confitentur, suscipiat vestra sanctitas, et eorum [4]) qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnet." [5])

Sed postquam, ut supra retulimus, Longobardica rabies Italie invasit regiones, per triennium qua [6]) paganitate detenti sint, quanta penarum genera quantasve amaras et crudelissimas neces christianis intulerint, non est facile dictu. At postquam in Arriana heresi baptisma perceperunt, paulo minus; sed ita crudelissime per CXL annos, quibus non gubernavere, sed vastavere Italiam, tyrannide usi sunt, ut si quis harum calamitatum gnarus esse voluerit, legat dialogorum librum et Pontificalia gesta sanctorum et inveniet calamitates calamitatum et miserias miseriarum. Explicit liber II.

Habetis, commilitones, Bonizonis narrationem, usque ad regum Longobardicorum tempora perductam. Reliqua spero fore, ut non ita multo post alio loco proponam. Valete.

Brunsbergae, a. 1861 dec. 1. **Prof. Dr. J. M. Watterich.**

---

[1]) Ed. *quoquo m. sed omni.* [2]) Ed. *tantum.* [3]) Ed. *eos.* [4]) Ed. *eos.*
[5]) Cod. *suscipit.* [6]) Ed. *quo.*

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Apologetices partem reliquam tradet diebus Lunae et Jovis h. II—III, nec non die Saturni h. X—XI.
II. De ss. Sacramentis et de rebus post mortem futuris disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. X—XI.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

I. Hoseam prophetam interpretabitur diebus Mercurii et Veneris hora IX—X.
II. Evangelium secundum Joannem explicabit diebus Martis, Jovis et Saturni hora IX—X.
III. Epistolas pastorales Paulinas explicabit ter per hebdomadem horis definiendis.
IV. De vitis et scriptis patrum Apostolicorum disseret bis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris tradet quotidie h. XI—XII.
II. De antiquitatibus ecclesiasticis disserere perget semel per hebdomadem.
III. De re diplomatica Latina tractabit exercitationesque instituet die Jovis h. III—IV.

Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E. Des.

I. Theologiam moralem tradet quinquies per hebd. hor. mat VIII—IX.
II. Repetitorium exegeticum instituet horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Mythologiam Graecam explicabit ter per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Jovis hora IX—X.
II. Aeschyli Agamemnona interpretabitur diebus et horis definiendis.
III. Aristotelis de arte poetica librum interpretabitur bis per hebdomadem diebus Mercurii et Veneris hora IX—X.
IV. Ciceronis de natura deorum libros explicabit diebus et horis definiendis.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Exercitationes geometricas moderabitur et librum cl. Mascheroni „Géometrie du Compas“ illustrabit diebus Lunae et Jovis hora II—III.
II. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit XI—XII diebus Lunae et Jovis.
III. Problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet hora II—III diebus Martis et Veneris.
IV. Geographiam, mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

Dr. Joann. M. Watterich, P. P. O. Des.

I. Patrimonii quod vocant sancti Petri historiam explicabit diebus Lunae et Martis hora mat. VIII.
II. Reformationis Anglicae historiam diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni tradet hora mat. VIII.
III. De scriptoribus aetatis mediae aliquot insignibus aget diebus et horis definiendis.

Dr. Ludovicus Gerkrath, P. P. E. Des.

I. Logicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora V.
II. Philosophiae inde a Kantio historiam exponet bis per hebdomadem diebus Martis et Veneris hora VI.
III. S. Augustini philosophiam explicabit semel per hebdomadem hora definienda.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Martis et Veneris hora XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheillio-Bussianum.

De veteris ecclesiae erga miseros charitate duo commilitones opuscula obtulerunt. Quorum alterum quum non omnino contemnendum sit, longe praeferendum est alterum. Hujus auctor summa cum diligentia nec minore cum judicii maturitate et vigore argumenta undique collecta, licet paullo longius extendisse videatur, tamen ita digessit, ut dissertationem praebuerit tam ex eruditionis copia quam ex sermonis elegantia plurimum laudandam. Auctori longe praestantioris hujus opusculi, tessera a S. Augustino desumta insigniti „Habet semper, unde det, cui plenum pectus est charitatis," Ordo Theologorum praemium XXV Imper. constitutum adjudicavit.

Resignata schedula prodiit nomen auctoris:

Johannes Nep. Szadowski, Stud. theolg.

Ad certamen litterarium Commilitones humanissimi provocantur hac posita quaestione:

De Gregorii I in nationum occidentalium culturam meritis.

Praemium constitutum est XXV Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est d. I. Januar. MDCCCLXIII.